

runt? Chartaginenses. Qui sunt qui Italiam deformarunt? Chartaginenses. Qui sunt qui sibi ignosci postulant? Chartaginenses. Et in illo Ciceronis. Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem populi partem suffragiis priuauit? Rullus. Quis comitiis praefuit? Item Rullus. Psal. 136. 1. Celebrate Iehouam quoniam in seculum misericordia eius. Celebrate Deum Deorum, quoniam in seculum misericordia eius. Celebrate Dominum Dominorum, quoniam in seculum misericordia eius. Sic 2. Cor. 9. v. 6. Qui seminat parce, parce & metet: Qui seminat copiose, copiose & metet. Ierem. 9. 23. Ne iactet se sapiens in sapientia sua, neq; iactet se potens in potentia sua, neq; iactet se diues in diuitiis suis.

Epanalepsis seu resumptio est qua idem sonus in principio & fine sententiae similiter repetitur. Quintil. lib. 9. cap. 3. sic definit: Epanalepsis est quando primis respondent in vltima. Quam figuram ipse, licet immerito, inter tropos enumerat. Fit autem Epanalepsis trifariam.

Epanalepsis
modi tres.

1. Cum syllaba vna vel plures iterantur, vt Cic. *Saluti enim eorum potius consulam, quam voluntati.* Item, *illa erat vita, illa secunda fortuna: libertate esse parem cum ceteris, principem dignitate.* Sic Psal. 115. 8. כְּמוֹהֶם יְהוּ עֲשִׂיהֶם בְּלֹא אֲשֶׁר בָּטַח בָּהֶם. Id est, Similes illis sunt, qui faciunt illa (idola) quisquis confidit in illis. Vbi per Epanalepsin syllaba דָּבָר ab initio posita repetitur in fine.

I.

2. Cum vox eadem iteratur, vt Cic. *Multi & graues dolores inuenti sunt parentibus & propinquis multi.* Virg. *Multa super Priamo rogitans super Hectore multa.* Cic. *Constat Verrem Rempub. venalem habuisse, constat.* Sic apud Ecclesiast. cap. 1. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Ezech. 7. 6. *Finis venit, venit ille finis.* Phil. 4. 4. *Gaudete in domino semper, & iterum dico gaudete.*

II.

3. Fit Epanalepsis cum eadem sententia ab initio & fine resumitur, vt Martialis.

III.

Phosphore redde diem quid gaudia nostra moraris?

Cesare venturo Phosphore redde diem.

Ouid. *Culpa tua est, quamuis haec quoque culpa tua est.* Cic. *Nunc etiam audes in horum conspectum venire proditor patriae, proditor inquam patriae venire audes in horum conspectum?* Psal. 118. 7. *Ioua custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam.*

Epanodos seu regressio est quando idem sonus in principio & medio, vel in medio & fine sententiae repetitur.

Fit 1. cum eadem vox sine aliqua mutatione reuocatur, vt Cic. *Gratiam, qui refert, habet, & qui habet, in eo quod habet refert.* Virg. *Crudelis tu quoque mater, crudelis mater magis an puer improbus ille. Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.* Esa. 5. 20. *Va dicentibus malum bonum & bonum malum.* Ioh. 14. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non sicut mundus dat &c.*

2. Fit Epanodos cum vox non nihil mutata reuocatur: vt, *Quia res indigna sit ideo turpem existimationem sequi, quia turpis existimatio sequitur ideo rem indignam non vindicare.* 2. Cor. 2. 14. *Odorem notitiae suae patefecit per nos. Nam Christi bonus odor sumus Deo.*

X 3

Huc